

**ACTA TRIBUNALIUM SANCTAE SEDIS
Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal**

**Prot. n. 38517/06 VAR
Quaesitum**

RESPONSIO IN RE PARTICULARI

Litteris diei 7 m. Decembris a. 2005 Exc.mus Vicarius Iudicialis Tribunalis Ecclesiastici N. Pontificio Consilio de Legum Textibus Interpretandis hoc proposuit quaesitum, scilicet, num in causis nullitatis matrimonii remedium detur restitutionis in integrum. Quod quaesitum dein transmissum est pro competentia ad hanc Signaturam Apostolicam.

**SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL**

Re sedulo perpensa;

Visis canonum 1645 §1 et 1643 praescriptis, iuxta quae

- restitutio in integrum datur adversus sententiam quae transierit in rem iudicatam;
- causae autem de statu personarum, proinde et causae de nullitate matrimonii, numquam transeunt in rem iudicatam;

Perspecto quod, duplici conformi decisione prolata de nullitate matrimonii ad normam can. 1645 §1, n. 1 (cf. art. 291 Instructionis *Dignitas connubii*), proprium iuris remedium datur, id est petitio novae eiusdem causae propositionis (cf. can. 1644), quod iuris remedium latius patet quam restitutio in integrum;

Firmis praescriptis de restitutione in integrum petenda

- adversus decisiones in causis incidentibus prolatas, quae quidem in rem iudicatam transierint;
- ad normam can. 1460 §2;

Cum in casu non agatur de dubio iuris, sed de mera legis applicatione;

Vi art. 124, n. 1 Const. Apost. *Pastor bonus* (cf. can. 1445 §3, n. 1);

In Congressu, die 22 m. Iunii a. 2006 coram infrascripto Cardinali Praefecto habito, ad rem respondendum decrevit et facto respondet:

Restitutionem in integrum non dari adversus sententias definitivas sive affirmativas sive negativas edicentes circa ipsam matrimonii nullitatem.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 22 m. Iunii a. 2006

Augustinus Card. Vallini, *Praefectus*
† Velasius De Paolis, c.s., *Secretarius*